nciale Technische
holen te Boom

Naam De Wal III, 244
Datum 1614 Cijfer
Vak Klas

Petrus Daems

Post mensem 22 februarii in Cathedra S: Petri solemnem admodum professionem habuerunt Lyrani Carthusiani, D. sc. Petri Daems qui praeterito anno summa omnium admiratione et fama Carthusianum susceperat habitum, nam cum esset filius ditissimi et opulentissimi civis et mercatoris Antverpiensis, ac liberaliter et secundum seculum educatus et sui iuris effectus, qui 24 excesserat annum et iam uxorem ducturus putabatur etiam a maxime propinquis prout frater eius in carmine testatur subiecit se iugo Religionis, humanioribus litteris probe excultus est ac ingenio valet maxime in arte poetica. Talem piscem se in reti suo habere multum gaudebat P. Prior Guilielmus qui satis strenue intendebat domum promovere et Conventum personis augere iam receperat D. Arnoldum Gaethovium, D. Joannem Offers qui fuerunt Procuratores, D. Nicolaum Conterraneum suum et nunc hunc. D. P. Daems et septem alios post ipsum ...

Sed hoc singularis professio non debebat sua singularitate pertransire: voluit cum professione primitias celebrare quasi non vellet amplius saeculum videre. Ideo eius Parentes obtinuerunt breve a nuntio ut posset una septimana tres ordines suscipere, quos illi episcopus Antverpiensis satis scrupulose contulit ante professionem et secundo die professionis primitias cantavit.

(Clerici Regulares qui ante professionem factam ad sacros ordines promoventur ipso facto suspensi sunt, et ita ordinum susceptorum actus exercendo fiunt irregulares. Ita Pius V in extravagante quae incipit Rom. Pont. publicata Id. Oct. 1568.

Sed hic D. Daems promotus fuit sub titulo Patrimonii ut verisimile est.